



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Instrvctio R. P. Bartholomæi Riccii Societatis Iesv  
Theologi De Modo Recte Meditandi De Rebus Divinis**

**Ricci, Bartolomeo**

**Mogvntiæ, 1605**

9 De otiositate.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59608](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59608)

quam enim tanta est, ut hominem reddat attonitum, similemque iis qui de potestate mentis exierunt. Quamquam multos natura ad id impellit, ut timidos, & melancholicos.

Ex altera parte obseruare potes (quamuis id vsuuenire non solet in spiritualis vitæ cultoribus, sed potius in peccatoribus) an aliquando huiusmodi tuo statu indignos actus exercueris, & opera aliqua virtutis, quæ facere tenebaris, nullo inde oborto rubore, neglexeris. Quod in rebus leuibus etiam potest contingere tyronibus ad sanctiorem vitam recens conuersis. antiquis quoque nonnullis qui incuria sua in seruitio diuino oblanguerunt.

*De Otiositate.*

C A P. IX.

QVONIAM bonum quod homo facit non bene, habetur pro infecto, & otiosus is dicitur, qui nihil facit, nomine otiositatis comprehendam tam eos qui nihil boni operantur, quàm qui bonum quod agunt, operantur imperfectè. Ad primum mensura pertinet imprimis *Imprudencia*, quæ sicut prudentia per omnes virtutes, ita per omnia



omnia vitia vagatur. & sicut illa conflatur ex multis particularibus virtutibus. ita hæc ex particularib. vitiis. Inter quæ vitia principem locum tenet *Præcipitatio*, qua homo opus aliq; subito aggreditur, nulla antegressa præmeditatione, qua ratione & via, quibusq; mediis id rectè perfici queat, & idcirco perperâ fit. Huius proximum est *Temeritas*, qua etiam cõtemnit præmeditari, & consilia omnia respuit. Secundum est, *Inconsideratio*, qua homo negligenter attendit ad media idonea, quæ consilio rationis suggeruntur, ad rem perficiendâ. Tertium est *Inconstantia*, qua homo anceps hæret, & licet media idonea inuenerit, tamen non imperat voluntati vt opus bonum exequatur. Voluntas etiam velut eneruis à perturbatione victa in diuersum inclinatur. Quod autem quiescat & quasi obdormiat interior, oritur à *Negligentia*, exterius verò non exequatur, nascitur à *Pigritia*, vel si exequi conetur, sed cunctabundè, à *Torpore*.

Post imprudentiam sequitur **INOBDIENTIA**, quæ etsi videatur religiosorum propria, est tamen communis omnibus Christianis, non solum erga Deum, & Papam eius in terra Vicarium, sed etiam erga Principes seculares, & multo magis erga  
Episco-



Episcopos Deinde est filiorum erga parentes, vxorum erga maritos, seruorum in Dominos, militum erga Capitaneos, discipulorum erga magistros, & cuiuslibet erga suum superiorem, cui aliquo modo est subiectus. Debet ergo subditus primo expendere, si imperata fecerit, si regulam suam seruarit in ordine, vel statu proprio prescriptam; vel si seruarit quidem, sed cum multa imperfectiōe, vt si mēte improbarit mandatum superioris, si eum de nimia seueritate, indiscretione, exigua caritate accusarit, si questus sit sibi potius quam aliis imperatum hoc vel illud. Deinde si voluntate resistit, vel ægrè mandata præstiterit, si verbis se purgari, murmurari, obstreperit. Si deniq; tardè exequi cœperit, tardius prosecutus fuerit & imperfecte absoluerit.

TERTIA est *Iniustitia negatiua*, qua homo negligit dare cuiq; quod iure debetur. Vt si curam aliorum gerat aliquo modorum iam dictorum, examinet num omnes satis instrui curauerit de iis quæ pertinent ad salutem, & multo magis, quæ ad proprium officium, & exercitium. Secundo, num subditos correxerit, & quidē conuenienter ad eorum emendationem. Tertio, an debitas pœnas, & quidem pro uoxa

M in gra-



grauitate ab eis exerit. Ex alia parte si ipse sit subditus, examinet, an instructionē suā munerī necessariam acceptarit? an aequi boniq; consuluerit admonitiones? an poenam iniunctam repudiarit, & si non, an libenti animo, vel totā, vel partē complevit?

QVARTA sit *Ingratitudo*, quæ primò in eo consistit, quod beneficium acceptum non agnoscat pro beneficio, sed pro debito. Secundo, quod silentio supprimatur, tertio, quod nullo studio vel cura recolatur. quarto, q̄ extenuetur, vel quoad quantitatem, vel qualitatem, vel modum, vel etiam intentionem conferentis. quinto, q̄ quis male loquatur de illo, vel eius auctore. Sexto, quod omnium deterrimum est, si damno donator afficiatur, vel in persona, vel existimatione, vel facultatibus.

Amplius, potest expendere tentationes, an illis restiterit, vel nihil, vel parum, vel languidè; & si grauis fuit, an auxilium diuinum in oratione implorarit? an ieiuniis, ciliiciis, disciplinis corpus suum exemplo D. Pauli castigarit? An deniq; remediis his usurpatis mox, cessante tentatione, ea deseruerit?

De aliis deuotionis actionibus, inquiri potest, an aliquando sint intermisisse, an suis tem.



temporibus repetitæ, idq; debira industria  
& sollicitudine, an eas ad fines à superiorib.  
& regula destinatos applicarit?

AT QVE vt finem tandem faciamus in  
hac instructione pro Examine, moneo, si  
quis in conscientia sua, alia defectuum ge-  
nera hic non annotata, deprehenderit, a-  
gat Deo gratias pro lumine sibi concesso,  
& indies maiores faciat progressus, vt fecit  
S. Augustinus in libris Confessionum, dicēs.

*Quid cum me domi sedentem stellio muscas* Lib. 10.  
*captans, vel aranea retibus suis irruentes im-* c. 35.  
*plicans, saepe intentum facit.* Verum, quia da-

ta opera nolui plura hic adiungere, ne æquo  
longius excurrat Tractatus, tantum mo-  
nitos cupio tyrones, ne existiment horum  
omnium defectuum examen ad se pertine-  
re, sed eorum tantum, qui sunt sui status  
proprii. Nec debent angi consuetis scrupulis,  
an consensum in hunc vel illum defectum præstiterint,  
sed omnia patefaciant Confessario, illiusq;  
definitioni parebunt, sicut & initio dixi.  
De reliquis duobus punctis (vt de quarto,  
in quo poscenda est venia pro lapsibus deprehensis,  
& de quinto, in quo proponenda est emendatio,) nihil  
dicendum occurrit, quia clara sunt, & intellectu  
facilia.